



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXXI. Primariarum Precum. Ubi eruditè examinatur, an Primariæ Preces Imperatoris locum habeant in Ecclesiis Collegiatis Bavarix. Multa inseruntur de Origine, & Natura harum Precum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XXXI.

In Cauſa Primariarum Precum
Imperatoriarum.

SUMMARIUM.

1. ſeqq. Facti Species.
6. ſeqq. Rationes, ex quibus videtur Jus Primariarum Precum etiam locum habere in Eccleſiis Bavaria.
9. ſeqq. A catholicis volunt, Jus harum Precum fundari in Jure Majeſtatico Imperatoris.
14. 15. Cum Catholicis aſſeritur, Jus iſtud ſaltem originaliter fundari in Privilegio Pontificis.
16. Laici abſque Privilegio Apoſtolicum non poſſunt diſponere de Rebus Spiritualibus, quales ſunt Beneficia Eccleſiaſtica.
17. Pontifices Uſum Primariarum Precum ſemper indulſerunt Imperatoribus tanquam gratiam.
18. Pontifices varie limitant hunc uſum.
19. Iſti Imperatores fatentur, ſe hoc Jus habere à Pontificibus.
20. Synodus Tridentina deliberauit de hoc Jure abrogando.
21. Lites occaſione harum Precum orta deſeruntur ad Curiam Romanam.
22. Laicis Principibus nullum competit Jus Sacrorum.
23. Niſi id habeant ex Indulto Pontificum.
24. Acta ſub diverſis Imperatoribus circa Primas Preces.
25. Imperator in Spiritualibus eſt ſubjectus Pontifici.
26. Jus Primarum precum fundatur in Indulto Pontificio.
27. ſeqq. Beneficia Juris Patronatus Laici non ſubſacent Primariis Precibus.
31. ſeqq. Contra has Preces præſcribi poteſt in particularibus Eccleſiis.
39. 40. Deciditur Controverſia, Primas Preces Imperatorias locum non obtinere in Eccleſiis Collegiatis Bavaria.
41. ſeqq. Satiſfit Argumentis oppoſitis.

FACTI SPECIES.

I.



Augustiſſimus Imperator Carolus VI. hodie gloriſſime regnans, ſicut ad alias per S. R. Imperium Eccleſiaſias, ita ad Collegiatis Bavariæ Primas Preces ſub initium ſui Regiminis, poſt obtentam Romæ à Sede Apoſtolica Confirmationem Electionis ſuæ, direxit, voluitque, ut juxta Indulti, ſuper his Precibus obtenti, tenorem primò ab Auguſtiſſimo Fratre ſuo Joſepho glor. mem. tum à ſe præſentatus Preciſta ad primò vacantem, vel vacaturum Canonatum in iis Eccleſiis admitteretur, cum Clauſula, ut, ſi illi, ad quos Preces hæc diriguntur, in contemptum, & præjudicium Jurium, & Conſuetudinum Romani Imperii ad parendum hujusmodi Primariis Precibus contumaces fuerint, Executores à ſua Cæſarea Majeſtate deputari -- eos realiter, & cum effectu ad parendum -- moneant, & compellant; contumaciâ vero -- aut contemptu -- per Menſem continuum, à die requeſitionis numerandum, durante, eos omnibus, & ſingulis Privilegiis, Gratiis, Libertatibus, & Donationibus, à Romanorum Imperatoribus, ac Regibus, ac à ſe, & aliis Prædeceſſoribus ſuis conceſſis, eo ipſo privatos, & Cæſarea iurisdictione exutos declarent.

2.

Post Preces ſub tali formula, ut dictum eſt, præſentatas, replicatum fuit contra illas ex parte Conſilii Eccleſiaſtici Electoralis,

Eccleſias Collegiatis Bavariæ omnes, harumque Canonicatus eſſe Juris Patronatus Laici, & præſentationem fieri à Sereniſſimo Electore, atque ideo dictis Precibus in his Eccleſiis locum non eſſe. Cum verò contra Replicationem iſtam ex parte Auguſtiſſimi aſſerrentur Exempla Primarum Precum, ſub Maximiliano I. Anno 1486. Ferdinando I. 1558. Maximiliano II. 1568. Rudolpho II. 1578. Ferdinando III. 1639. & Joſepho I. 1705. pro Bavaria expeditarum, per Decretum Electorale juſſæ ſunt Quatuor Eccleſia Collegiata in Bavaria, Monaceniſis, Landshutana, Straubingana, & Veteris Oettingæ, ut in Regiſtratura, & Archivo ſuo, adhibita omni diligentia, inquirerent, an in illis Preces Primariæ Cæſaræ unquam locum inveniſſent, & vi illarum ullus Preciſta ad Præbendam admiſſus fuerit, ſpecificè verò, an ſub dictis Imperatoribus de Precibus ad eas expeditis conſtet?

Ad hoc Decretum 8. Martii 1716. reſpondit Decanus, & Capitulum Collegiata Oettinganæ, ſe poſt diligentiſſimam inqueſitionem in Archivo ſuo non inveniſſe, quòd ullus Canonicus per primarias Imperatorum Preces ad Canonicatum dictæ Eccleſiæ unquam fuerit promotus: de quo, ſi hoc factum fuiſſet, utique in ſuo Archivo extarent Inſtrumenta, ſeu Decreta Cæſaræ; ut adeò clarum ſit ſignum, quòd ejuſmodi Preces ad eam Eccleſiam vel nunquam ſint expeditæ, vel ſi expeditæ fuerunt, non magis, quam nupſerunt.

nuperæ sub hodie regnante Imperatore datæ (quæ ex Clementissimo Mandato Electorali, tanquam præjudiciosa Juri Patronatûs Laicali, remissa sunt) ad effectum deductæ sint. In eundem tenorem dicto Anno 1716. 16. Maji respondit Præpositus, & Capitulum B. V. Monacense, addiditque, ex Actis non constare, quòd unquam sub Imperatoribus *Num. preced.* specificatis, aut aliis horum Prædecessoribus Preces Primariæ insinuatæ fuerint, aut locum in Ecclesia sua invenerint, vel Precista ullus ad Præbendam ullo tempore sit admisus.

4. Capitulum Straubingana Ecclesiæ 6. Martii 1719. rescripsit, sibi de iis, quæ tempore, quo Collegium Canonicorum adhuc fuit Monasterii, acta sunt, constare non posse, utpote cum per Suecos, dum Civitatem Straubingam occuparunt, Registratura illius Ecclesiæ omnino fuerit dissipata. Postquam verò idem Collegium Straubingam translatum est, eo ipso Anno 1639. quo dicitur Ferdinandus III. Imperator Primas Preces ad Ecclesias Collegiatas Bavariæ expeditisse, Canonicatum, qui per mortem Domini Sebastiani Langenmantl tum vacavit, juxta Protocolum Capituli sub die 24. Julii dicti Anni, à Serenissimo Electore Maximiliano I. Domino Joanni Christophoro Wampl collatum fuisse, non vi Precum primariarum dicti Imperatoris (utpote de quibus præsentatis in memorato Protocollo nulla fit mentio) sed Jure ordinario, quo sibi, & Posteris suis Serenissimus Wilhelmus Bavariæ Dux Jus præsentandi ratione Dotationis à se factæ reservavit, quocunque Mense, etiam Papali, Canonicatus in Ecclesia illa vacaverit. Addidit, sub initium Regiminis Augustissimi Imperatoris Josephi, fuisse quidem Preces primarias ad Canonicatum suæ, vel Landishutana Ecclesiæ in favorem Domini Simonis Thaddæi Zengl directas, sed post Remonstracionem à Cæsarea Administratione, quæ tunc Bavariam gubernabat, Aulæ Viennensi factam, quòd Primariæ Preces in eadem Bavaria locum non habeant, neque iis eo tempore opus sit, cum Augustissimus, tanquam Provinciæ ea tempestate Dominus, Jus præsentandi in omnibus dictæ Provinciæ Canonicatibus habeat, expeditam fuisse Præsentacionem ordinariam, & Canonicatum, qui tum per mortem Domini Francisci Staudhamer vacabat, Anno 1707. fuisse hoc modo collatum prædicto Domino Zengl, non vi Precum, quas non exhibuit, sed vi Præsentacionis, cuius literas 10. Jan. dicti Anni datas ostendit.

5. In Landishutana Ecclesiæ Archivo de iis temporibus, quibus Collegium Canonicorum fuit Mospurgi, usque ad Annum 1595. quo juxta Literas Apostolicas de dato 7. Julij dicti Collegii in Urbem Landishutanam translatio concessa, & Anno immediatè sequenti 27. April. executioni data est, nulla inventa sunt Documenta, consequenter sciri

non potest, quid ante hanc translationem circa punctum Primariatum Precum sit factum, & an sub Imp. Maximiliano I. Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho II. Preces ullæ ad eam Ecclesiam concessæ sint; credibile autem esse, eas in Ecclesia Landishutana locum non obtinere, quòd Serenissimus Elector Maximilianus I. ratione Dotationis, quam ipse potissimum fecit, sibi, & Successoribus suis Jus præsentandi ad Præposituram, Decanatum, Parochiam, & Canonicatus ejus Ecclesiæ perpetuis futuris temporibus per expressum reservaverit, ac propterea ejusdem Juris possessionem, vel quasi, pro quavis vacatura per actus exercitos Dominus Bavarica habeat. Dicit quidem, quòd sub Augustissimo Imp. Ferdinando III. ad dictæ Ecclesiæ Canonicatum hujusmodi Preces Anno 1639. expeditæ fuerint; sed de hoc in Archivo, seu Registratura ejus Ecclesiæ neque de dicto Anno 1639. neque de sequenti 1640. quidquam inveniri, quòd præsentatæ eidem illæ sint: contra verò haberi, quòd memoratæ Ecclesiæ Decanus, qui deinde in pleno Capitulo rem proposuit, Anno 1705. ab Excellentissimo Comite de Cronsfeld, Generali Cæsareo, tum in Bavaria existente, monitus fuerit, ne quidquam in Puncto Primarum Precum ad Consilium Ecclesiasticum Monacense referretur, quippe quòd cum universitate bonorum ad Cæsaream Majestatem etiam Jus Patronatûs cum appertinentiis devolutum sit: atque hinc constare, quòd illud, quòd deinde Anno 1706. à dicta Cæsarea Majestate, durante hujus Administratione, factum est, non vi Primarum Precum, sed Præsentacionis Ordinariæ factum sit. Ita Literæ dicti Capituli 7. Mart. 1719. Hac Specie Facti positâ, exsurgit

Q U Æ S T I O P R I N C I P A L I S.

An Primæ Preces Imperatoriæ locum habeant in Ecclesiis Collegiatis Bavaria?

6. Rationes dubitandi sunt. 1. Quia ejusmodi Preces, ut *Num. 2.* dictum est, jam sæpius ab Imperatoribus ad Ecclesias Bavariæ expeditæ sunt, & quidem ex ratione universali Diplomatis illorum adjectâ, quòd Sacræ Cæsareæ Majestati *ex inveterata Consuetudine Jus competat, Preces Primarias ad omnes, & singulos Beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores, & Collatrices, Capitula, Conventus, & Collegia, ac Personas alias, de illis quocunque modo disponendi Jus habentes, NB. per universum Romanum Imperium (adeoque etiam per Bavariam) constitutas, porrigendi &c.* Neque obstat, quòd Ecclesiæ Collegiatae in Bavaria, harumque Dignitates, & Canonicatus sint Juris Patronatûs Laica-

Laicalis, & nominatio ad hos, & illas spectet ad serenissimam Domum Bavaricam; nam

7.

2. In iisdem Diplomatis adduntur verba, *Etiamsi ad ea consueverint per Electionem assumi.* Item ad Collatorum, Collatricum, Capitulorum, Collegiorum sive Conventuum, ac Personarum predictarum Collationem, Provisionem, Electionem, Nominationem, NB. *Præsentationem, seu quamlibet aliam Ordinationem conjunctim, vel divisim spectantia &c.* Quæ verba clarè comprehendunt omnia Beneficia Ecclesiastica etiam Juris Patronatûs, nullamque inter Patronata, & alia, quæ libera Collationis sunt, distinctionem faciunt. Neque dici potest, quòd hoc Jure aliqui Imperatorum respectu Bavaricæ usi non sint, vel si usi sunt, & Preces expedièrunt, executionem istarum non urserint, sicque Jus istud per nox usum extinctum sit; quia

8.

3. In Actibus meræ facultatis, uti est Exercitium Primarum Precum, in cuiuslibet arbitrio est Jus suum prosequi, eoque uti limitatè, vel omnino non uti, quin propterea Præscriptio contra hoc aliqua prætendi possit, præsertim contra Imperatorem, cujus Juri Majestatico Jus Primarum Precum adhaeret,

Teste Struvio *Synt. Jur. Publ. dissert.* 10. §. 31.

Ubi in terminis, *ultimum*, inquit, *demonstrat* est Jus Primarum Precum, quod est facultas, vi Majestatis Imperatori competens, in plerisque Ecclesiis, vel Monasteriis Imperii immediatis: vel etiam mediatis, unam Personam, idoneam tamen, ad Beneficium Ecclesiasticum majus, vel minus, primò vacaturum, præsentandi.

Ut dilucidius ad positas hic Rationes dubitandi respondeatur, ipsaque Quæstio proposita decidatur, ex re erit, triplicem aliam Quæstionem quasi præliminariter examinare. Ex his sit

QUÆSTIO I.

PRÆLIMINARIS.

An primæ Preces Imperatorie fundentur in Privilegio, & Indulto summi Pontificis, an verò in Jure Majestatico, seu dignitate Imperatoriâ?

9.

Rationes
Dubitandi.

PRO hoc secundo, tanquam pro Aris, & focus pugnant Scriptores A catholici, & ex his præcipuè

Fritsch. *de Jur. Prim. Prec. c. 5. num. 10. & seqq.* Vitriar. *de Institut. Jur. Publ. Rom. Germ. l. 3. tit. 2. num. 9.* Klock tom. 1. *conf. 4. n. 15. 30. & 31.* Reinkingk *de Regim. Eccl. l. 3. class. 1. c. 9. n. 57.* & novissimè Author Anonymus *Vindic. prim. Prec.* & alii ab his citr.

Qui acerrimè contendunt, hoc Jus Impera-

tori competere ab insita suæ Personæ per Electionem Majestate, seu, ut vernaculè Linguâ proferunt, *Krafft tragenden Käyferlichen Ampts*, ita, ut nullo ad hoc indigeat aliunde accepto Indulto, vel adminiculo.

Fundantur 1. Quia, si Imperatori Jus Primarum Precum independentè ab Indulto, vel Privilegio Pontificis non competet, ratio foret; quia Beneficia Ecclesiastica, & Præbendæ Canonicales sunt Jura Spiritualia, vel Officio Spirituali annexa. Sed hæc ratio nulla est. 1. Quia, quod est præcipuum in dictis Beneficiis, est Jus percipiendi Reditus temporales, qui nihil sunt spirituale: unde, sicut Imperator Episcopis, & Archiepiscopis conferre potest Terras, Principatus, & Regalia, ita etiam Clericis conferre poterit Beneficia. 2. Laici sunt capaces Juris præsentandi ad Beneficia Ecclesiastica. Igitur, cum Imperator non debeat esse deterioris conditionis, quippe qui est supremus Ecclesiarum Patronus, & Advocatus, saltem sub initium Regiminis, eodem Jure gaudebit, tum ut benignitatem suam noviter illucescentem exhibeat, tum ut Clero (quem non secus, ac Laicos Jurisdictioni Principum subjectum AA. hi volunt) Majestatis suæ aliquam agnitionem imprimat. 3. Quia, ut ex diversis Recensibus Imperii,

Præsertim de Anno 1512. §. 4. & 1524. §. 29.

patet, Imperator in Imperio Jus Sacrorum habet: quo etiam usus est in Pacificatione Westphalica, ubi de integris Episcopatibus pleno Jure, & unice ex summa Cæsarea potestate disposuit. Cur ergo non poterit disponere de Beneficiis inferioribus ex potestate Cæsarea per primas Preces?

2. Hodiedum Reges Hispaniarum, & Galliarum nominant; & respectivè conferunt Episcopatus, Prælaturas, & alias Præbendas ex Jure Regalium, quod saltem in Francia, non dependet à Privilegio Pontificio. Cum igitur Imperatori, tanquam Regibus excellentiori, ex natura rei non debeat minus licere, etiam huic ex natura rei, & ex præminencia Imperatoria concedi debet potestas conferendi Beneficia, saltem per Primas Preces, si aliis Juribus se abdicarunt Antecessores. Nec eidem obstat, quòd plures Imperatores, præsertim recentiores à Pontificibus, uti Ferdinandus II. à Paulo V. & Ferdinandus III. ab Innocentio X. ad exercendum Jus Precum Indulta Papalia petierint, & impetrarint; nam ejusmodi Indulta non ex necessitate, sed ad abundantiorè cautelam, suaviorèmq; Precum executionem, libera voluntate & civilitate petita, concessaque sunt: nec fuerunt Collatoria, sed Confirmatoria Juris, jam aliunde competentis Imperatoribus vi Superioritatis, & Regalium, ubi proinde locum habet

Textus

Textus C. cum dilecta. 4. de Confirm. util. & inutil. Item c. ex parte. 13. & c. quia intentionis. 29. de Privileg.

Juxta quos textus Confirmatio facta in forma communi, & quæ duntaxat innovatio est Juris antiqui, nullum Jus novum tribuit, sed vetus tantum confirmat. Imò

12.

3. Imperatores, & Reges Romanorum antiquitus habuerunt etiam potestatem constituendi, & destituendi non modo Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos Ecclesiarum inferiores, sed ipsos quoque summos Pontifices.

Can. Hadrianus. 22. dist. 63. Duaren. de Eccles. Ministr. l. 3. c. 11. Alb.

Crantz. l. 2. Metropol. c. 29.

Neque obest, quòd Successu temporis multum à suis Juribus dicti Reges, & Imperatores recesserint; nam semper sibi reservarunt Primarias Preces, tanquam Reliquias tenues antiqui sui Juris circa collationem Episcopatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum: & hoc Jus dictarum Precum exercuerunt per plurima jam Sæcula, non dependenter ab Indulto Pontificio, sed ex antiqua, & approbata Consuetudine, ut in suo Diplomate Precum Primariarum, Anno 1273. edito, quòd extat apud Nauclerum Generat. 43. loquitur Rudolphus I. cujus vestigiis insisterunt sequentes Imperatores complures, & in specie Leopoldus I. & Josephus I. glor. mem. qui in dirigendis suis Precibus fundarunt se nequitiam in Gratia Pontificia, sed ad antiqua Romani Imperii Jura provocarunt: idque merito, quippe cum Prærogativa ista Imperatori debeatur ratione Advocatiæ, quam ille vi muneris sub obtinet in omnes Ecclesias.

ex vi Recesûs Imperii de Anno 1518. §. Erstlich; Item de Anno 1541. §. Ubi dicitur Imperator esse Prætor totius Christianitatis, & Advocatus Christiana Ecclesia, Fideique.

Consequenter habet intentionem fundatam in Jure communi de providendo Ecclesiis de Ministris, atque adeò non indiget Privilegio Apostolico

Arg. l. in causa. 16. princ. §. nam si. ff. de Minor.

13.

4. Si ad usum Primarum Precum Imperator egeret adminiculo, earumque Jus profuisset à Sede Pontificia, admittendæ essent sequelæ plurimæ, ut quidem Anonymus cit. ex suo, & A catholicorum sensu existimat, absurdissimæ, & Libertati Germanicæ vel maxime præjudiciosa: inter quas una est, quòd hoc modo Imperator esset subiectus Summo Pontifici, cum Privilegii datio innuat superioritatem dantis, & subjectionem impetantis.

Cravett. conf. 980. n. 1. Grav. pract. concl. l. n. 21. et pod.

Certe, si A catholici crederent, Preces istas

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

profuere ex Indulto Pontificis, nunquam illas ab Imperatore sibi directas admitterent. Et hinc, cum in Pacificatione Westphalica Status A catholici eas Preces reputari vellent pro inadmissibilibus, & inutilibus, Catholici Status,

prout ex Lundorpio ad Annum 1645. refert cit. Anonym. fol. 26. & 27. responderunt, dictas Preces profuere ex Jure Majestatis Imperatoriæ, sicque ipsimet Catholici agnovissent easdem Preces fundari in Jure Majestatico, non verò in Indulto Pontificio.

Sed contrarium uno ore docent Scriptores Catholici

Choppin. de Sacri. Polit. l. 1. tit. 10. n. 13. Restaur. Castald. de Imperator. q. 100. n. 14. & 15. Boer. decis. 32. n. 8. Arnulph. Ruzeus de Jur. Regal. Privil. 47. n. 2. apud Bursat. conf. 126. n. 39. & 40. Rebuff. conf. 47. n. 2. Gaill. pract. l. 2. obs. 157. fin. Choppin. de Indult. Primar. prec. proam. post princ. Besold. tract. de Majest. Eccl. fol. 121. Herman. Herm. fascicul. Jur. Publ. c. 11. n. 8. & seqq. Conrad. Oliggen. de Precib. Prim. fol. 142. ubi adducit quosdam A catholicos idem sentientes, nempe Wilhelm. Beckers. synops. Jur. Publ. c. 5. §. 5. Ruelin. Ad Aur. Bull. p. 1. dissert. 14. thes. 16. Syring. de Pace Relig. concl. 31. lit. B. Lampad. de Rep. Rom. Germ. p. 3. cap. 1. §. 46. & 47. testaturque Speculat. l. 4. p. 3. de Præb. §. restat. n. 7. se visolo disse Privilegium Bullatum.

Patentur hii omnes, Jus Precum Primariarum originem saltem ex Indulto, gratia, & concessione Apostolica ducere. Cum his proinde, ad illud Privilegium Bullatum.

DICENDUM, & pro indubitato tenendum est, Primas Preces Imperatoriæ inquit dignitatis Imperatoriæ de factol competere, non tamen in hac, seu Jure Majestatico, sed in Indulto, seu Privilegio Pontificis fundari, atque ex isto, saltem originem trahere, & efficaciam fortissimè esse. Dixi Originem, & primam, nam alia, & diversa omnino questio est, an Privilegium Pontificium, à quo efficaciam suam Preces habent, sit perpetuum, seu ita concessum, aut Consuetudine continuatum, ut recens Electus Imperator Primis Precibus uti possit absque nova petitione, aut speciali ratificatione, iniqua Questione, ut viderè est apud me.

Ex dictis ad Libr. 3. Decret. tit. 5. num. 338. & duobus seqq.

Catholici etiam DD. non conveniunt, quavis melius ex istis sentiant, qui perpetuitatem hanc negant, asseruntque, cuius Electo Imperatori, aut Regi Romanorum pro usu hujus Privilegii opus esse novo Indulto Pontificio. Sed questio ista ad rem præsentem non pertinet, cum ad solutionem Questio-

nis

14.

Rationes Decidendi,

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

nis Principalis Num. 6. propositæ sufficiat, quòd Preces hæ primæ originem suam trahant saltem ex indulto Pontificis: quod verissimum est, &

16.

Convincitur 1. Ex Natura, & Essentia Primarum Precum; nam hæ à Catholicis æquè, ac ab A catholicis,

ut videre est apud Vitriar. *Inst. Jur. Publ. l. 3. tit. 2. n. 8.*

definiuntur, quòd sint Jus, & potestas, vj cuius Imperator bene meritis, vel aliis personis idoneis prospicit de Beneficio Ecclesiastico vel vacante, vel vacaturo. Atqui hæc potestas, & Jus independentè à Privilegio Pontificis non potest competere Laicis, consequenter nec Imperatori; Beneficia enim Ecclesiastica sunt quid spirituale, quippe quæ dantur propter Officium Spirituale, qualia sunt psallere in Choro, prædicare Verbum DEI, administrare Sacramenta &c. Potestatis autem disponendi de Spiritualibus, & tractandi negotia Spiritualia independentè à Privilegio Apostolico Laici incapaces sunt. Quodsi verò absque tali Privilegio disponere de Beneficiis Ecclesiasticis nequeunt, etiam Jus nominandi ad illa absque dicto Privilegio nullatenus competit, quippe quod Jus, tanquam antecedenter connexum cum Beneficio,

Juxta *Reg. accessorium. 42. de R. J. in. 6.* etiam ipsum sequi naturam ejus, cui annexum est, debet. Proinde irrita foret omnis circa Beneficia Ecclesiastica Imperatoris etiam per Primas Preces provisio, & dispositio, nisi accessisset Privilegium, consensus, vel approbatio Pontificis, qui solus, ut plenam, & liberam potestatem in Beneficiis Ecclesiasticis disponendi habet, ita hanc aliis communicare suo Indulto potest.

17.

2. Ex Bullis Pontificiis, quibus Precum Primarum usus per plura Sæcula Imperatoribus indultus est; nam in his adhibita semper sunt verba, significantia specialem gratiam, ad supplicationem eorum ipsis concessam, qualia sunt, *Nos favorabiliter concedimus tuæ Celsitudini; tuis supplicationibus inclinati indulgemus &c.* Patet per Exempla; nam 1. In hujusmodi verbis Anno 1451. primas Preces Nicolaus V. concessit Frederico III. postquam pro his supplicavit, & se Advocatum Ecclesiæ Romanæ devovit. Similiter 2. Innocentius VIII. 1492. in Bulla data Maximiliano I. usus est verbis, *Gratosè concessit, & indulsit.* 3. Clemens VII. easdem Primas Preces, concessas à Leone X. Imperatori Carolo V. ad hujus supplicationem restaurans, explicans, & amplificans Anno 1530. usus est verbis, *Celsitudini tuæ de ulteriori gratia etiam concessimus, & indulsimus.* Pariter 4. Cum iisdem verbis dictas Preces concessit Gregorius XIII. Rudolpho II. 1577. Paulus V. Matthiæ I. 1612. & Ferdinando II. 1619. item Urbanus VIII. Ferdinando III. 1638. Ex quibus manifestum redditur, Imperatoribus non Ju-

re proprio Majestatis secularis, sed ex Indulto Majestatis Sacræ, scilicet Pontificiæ Primas Preces competere; si enim priori Jure illæ ipsis competere, nunquam pro iis supplicassent Pontifici, aut si supplicare voluissent Civilitatis ergo, Bullas istas per verba gratiam denotantia conceptas, neutquam recepissent.

3. Ex variis Limitationibus, & Restrictionibus, quas Indulto Primarum Precum addiderunt Pontifices, illudque concluderunt, restrinxeruntque 1. Quoad locum, dum id statuerunt procedere tantum in Terris Imperii extra Italiam. 2. Quoad Collatores, dum voluere, his Precibus duntaxat tangi illos, qui saltem quatuor Beneficia habent Collationi suæ obnoxia. 3. Quoad ipsa Beneficia, dum excluderunt à Precibus, quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt, ut patet per *Extrav. ad Regimen. 13. de Præbend. & alia Jura,* quæ sunt Primæ Dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & primæ absolute in Collegiatis Ecclesiis, Beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, vel aliter apud hanc vacantia &c. Atqui has limitationes nec Pontifices addere potuissent, nec ipsi Imperatores admisissent, si vel ex Jure Majestatico, vel ex mera Consuetudine, consensum Pontificum non habente, iisdem Imperatoribus Primis Precibus potuissent uti. Ergo &c.

4. Ex Confessione propria, & factis Imperatorum, qui in suis Diplomatis, per quæ direxerunt Preces suas, provocarunt quidem ad antiquam Consuetudinem; at simul addiderunt, eandem esse approbatam, & roboratam autoritate Apostolica, ut nominatim fecerunt Rudolphus II. Ferdinandus II. & III. Imò post Concordata Germaniæ per ducentos, & amplius annos usque ad Leopoldum I. & Josephum I. nullus Imperatorum absque speciali Indulto Pontificis Preces Primarias usurpavit. Quorum vestigia secutus est Augustissimus Imperator Carolus VI. hodie gloriosissime regnans, qui pro iisdem Precibus Pontifici Clementi XI. sub initium Regiminis sui supplicavit, obtinuitque, ut non solum ipse Preces suas ad Germaniæ Ecclesias posset dirigere, sed etiam, ut eæ, quæ ab Augustissimo Fratre ejus Josepho absque simili Indulto sunt directæ, executioni darentur. Proinde agnoverunt ipsimet Imperatores, has Preces non ex Jure Majestatico, sed ex Indulto Pontificio sibi competere.

5. Ex sensu Patrum, in Sacra Synodo Tridentina congregatorum. Apud hos deliberatum fuit, utrum cum Gratiis Expectativis ad Beneficia primum vacatura, quas eliminantur, non etiam expressis verbis abrogandum sit Jus Primarum Precum, Beneficia vacatura complectentium. In hac Consultatione prevaluit quidem pars major, judicantem, hoc Jus in sua antiqua amplitudine præservandum in gratiam Imperatoris.

toris, ut narrat Fagnan. in c. nulla. n. 9. & 10. de concess. Prab. Ipla tamen Consultatio Iuculenter arguit, hunc Sacrum Senatam iudicasse, Jus Primariarum Precum ex dispositione Ecclesie, cum suo Capite Romano Pontifice congregata, adeoque ultimo ab isto, non vero à Jure Majestatico dependere; si enim ab hoc solo profueret, sine injuria Imperatoris non potuissent dicti Patres cogitare de Jure hoc limitando.

21.

6. Ex communi sensu Nationis Germanicæ, ipsaque praxi ad tria fere sæcula se extendente; constat enim, quod, ubi lites super Precibus oriuntur, tam Precistæ, quam ipsi Collatores, imò & Imperatores hæcenus recurrere soliti sunt ad Curiam Romanam, indeque petere decisionem, & declarationem, quousque se vis earum Precum porrigeret,

ut videre est apud Conrad. Oligen. n. 36. 38. 42. 58. &c.

Item constat, quod Ordinarii Beneficiorum Collatores post Concordata Germaniæ noluerint Preces istas admittere, vel exequi quoad Beneficia suorum Mensium, antequam Pontifices declararent, se quoad easdem Preces Concordatis derogare. Cum igitur consensus integræ Nationis, uti & praxis adeo diuturna sit optima Juris interpretis, manifestum evadit, cujus Juris sint Preces istæ, Pontificii, an Majestatici.

22.

Respondetur ad rationes dubitandi.

Neque contrarium evincunt Argumenta Nam. 10. & tribus seqq. proposita. Ad 1. Tria in hoc Argumento proponuntur, ex quibus neutiquam Adversarii probant intentionem suam; nam 1. Licet Reditus Ecclesiastici sint temporale quid tantum, accessorie tamen Jus ad illos Spirituale est, cum sit annexum Officio Spirituali, propter quod datur Beneficium.

C. fin. de Rescript. in 6.

Manebit ergo hoc Jus Spirituale, quamdiu manet annexio, quippe cum res temporalis desinat esse talis, ubi fuerit annexa Spirituali.

Can. si quis. 7. caus. 1. q. 3.

Quod Principatus, & Territoria sua Episcopi Germaniæ ab Imperatore accipiant, mirum non est, cum Jure Feudi eidem subiecti sint, & sub hoc onere primitus concessi Ecclesiasticis. 2. Etiam Patroni inferiores Laici Jus præstandi ad Beneficia à se fundata ex Apostolica benignitate, absque qua incapaces ejusdem forent, sunt nati. Unde si argumentum hoc aliquid probat, concludi debet, quod etiam Imperator ad Jus nominandi ad Beneficia per Primas Preces habilitari debuerit à Summo Pontifice. 3. Jus Sacrorum, quale Adversarii Imperatori, & Principibus asserunt, per Recessus Imperii nullum attributum est Imperatori, nec attribui eidem potuit, quippe qui Recessus constituti sunt per Comitiam, constantiam ex meris Laicis: solum ibi concessum est Principibus, sicut aliis Impe-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

rii Statibus (quibus utique A catholicis non tribuent Jus Precum primarum) ut ratione Superioritatis Territorialis impediri in exercitio Religionis suæ ab aliis nequeant, & ut alienæ Religionis exercitium pati non teneantur, datâ tamen potestate emigrandi subditis à sua Religione alienis. Aliud Jus Sacrorum, aut Jurium Spiritualium exercitium nullus Catholicorum Principum, etiam Imperatorum, qui utique potestatis suæ ignari non sunt, sibi arrogat, cum omnes fateantur palam, Jurisdictionem suam merè merissimè temporalem esse. Quod amplius quid sibi præsumant Principes A catholicis, mirum non est, cum ex falsis sectæ suæ Principiis Pontificis auctoritatem, & omnem Magistratum Ecclesiasticum sustulerint, ac seipsos pro Pontifice gerant, Sacra miscentes profanis, & omnia susque deque vertentes. Imperator in Pacificatione Westphalica integros Episcopatus in manibus A catholicorum reliquit, non propria auctoritate, quasi potestatem haberet de iis disponendi, sed ex fatali necessitate, quod eos amplius ab interitu defendere non valuerit, sicut tanquam Advocatus Ecclesie debuisset, si potuisset. Neque ratum id habuit Sedes Apostolica, sed Pacificationem hanc quoad ea, quæ præjudiciosa Ecclesie erant, expressè irritavit Innocentius X. per specialem Bullam, ubi etiam declaravit Primarias Preces à Sede Apostolica proficisci.

23.

Ad 2. In primis Argumentum hoc nimum probat; nam, si id, quod Regibus aliis datum est, Imperatori, tanquam eminentiori Principi competere debet, etiam eidem competere debet Jus percipiendi redditus Ecclesiarum vacantium, quod Reges Franciæ vi Regalium suorum habere dicuntur: quod tamen Jus Imperatorum nullus adhuc præ tendit. Directè respondeo, Regalia Laicorum Principum nullatenus se extendere posse ad Jura Spiritualia, inter quæ est providere posse de Beneficiis quocunque modo sive per Nominationem, sive per Electionem, Collationem, aut Primas Preces. Hinc nec ipsi Hispaniarum, & Galliarum Reges Episcopos, aut Prælatos alios Ecclesiasticos nominant Jure proprio, & Coronæ, sed ex Privilegio Pontificio, sive tacite, sive expressè concessio. Si Jus Primarum Precum Jure proprio, & merè Majestatico, absque Indulto Pontificio, competere Imperatoribus, non est credibile, quod iidem, utpote tam solertibus, ac circumspèctis Consiliariis abundantes, aut hujus sui Juris ignari, aut in defensione ejusdem adeo negligentes fuerint, ut permitterent Preces suas ab Ecclesiis Germaniæ (prout sæpè contigit) vel non admitti, vel Exceptiones varias contra has opponi, præsertim post Concordata Germaniæ: multo minus supplicasset Pontifici tanquam concedendum ex gratia, quod ipsis sine hac ipso Jure debebatur, cum experientia teste nemo acrius sua Jura defendere

H h 2

dere

dere soleat, aut minus ea vel in minimo violari patiatur, quam Principes Supremi, non assueti gratis aliorum vivere. Dum ergo pro Indulto Primarium Precum, earumque ampliatione, & litum super his ortum decisionem Imperatores recurrerunt ad Summum Pontificem, id non ex Civilitate duntaxat, sed ex necessitate fecerunt, & Indultum, super iis à Sede Apostolica datum, non fuit confirmatorium Juris aliunde competentis, sed de novo, & primitus collativum Juris ejusdem, quod, ut manifestè ostensum est, independentè ab Indulto Pontificio Imperatores non habuissent ad providendum de Beneficiis Ecclesiasticis. Repetantur Argumenta, à Num. 16. pro confirmatione Responsionis nostræ posita, ubi ex natura, & essentia Primarium Precum, ex Bullis Pontificiis, & factis per has limitationibus, ex Confessione propria ipsorum Imperatorum, ex Judicio Patrum Concilii Tridentini, ipsoque communi sensu, & praxi Germanicæ Nationis ostensum est, Jus Primarium Precum non confirmari à Summis Pontificibus tanquam aliunde habitum, sed conferri, & collatum fuisse de novo.

24.

Ad 3. Quòd quidam ex antiquis Imperatoribus attentaverint pro libitu constituere, & deicere Prælatos Ecclesiæ, Episcopos, Archiepiscopos, ipsosque Pontifices, præsertim tempore Schismatis, id contigit viâ facti, & per violentiam, non viâ Juris, semper reclamante Ecclesia, SS. Canonibus, & Pontificibus, qui etiam talia ausos Excommunicationis fulmine percusserunt, & Imperio exuerunt: horum proinde acta pro Regula servare non possunt. Quod *Can. Hadrianus cit.* habetur, quasi Papa Hadrianus Carolo M. dederit potestatem eligendi Pontificem, fabulosum est, & à Gratiano incaute descriptum ex Sigeberto, & Luitprando, Historiam male referentibus, ut ostendit Bellarminus, & Anastasius Bibliothecarius. Dein, licet hoc verum esset, id non faveret Adversariis quoad præsentem materiam: quia non negatur, quòd Imperatoribus ex concessione Pontificis competere possit Jus conferendi Beneficia Ecclesiastica, vel ad ea eligendi, & nominandi; sed pro hoc solum contenditur, quòd Jus istud iis non competit independentè ab Indulto Pontificio ex Jure proprio, & Majestatico, quod hæcenus demonstratum est. Atque hinc sequitur, Preces primas non esse reliquias antiqui Juris Imperatorii de Beneficiis, & Prælaturis Ecclesiasticis disponendi, quippe quod independentè à consensu, & indulto Papæ nunquam habuerunt, neque habere poterant. Consuetudini ab Adversariis allegatæ opponitur alia Consuetudo contraria, à ducentis, & amplius annis hucusque continuata, juxta quam Imperatores semper recurrerunt ad Sedem Apostolicam pro usu Primarium Precum, quem proinde Pontifices ob bene merito favorabiliter, & Gratiore indulerunt,

Rudolphus I. & Carolus IV. non adduxerunt pro se Consuetudinem nudam, sed approbatam, utique à legitimo Superiore Imperatorum, hæc Consuetudinem per actus suos introducentium, qualis in Ecclesiasticis respectu illorum quoque est solus Papa, ut nemo Catholicorum dubitat. Igitur Consuetudo illa antiqua, consequenter & efficacia Primarium Precum vim suam ultimam, & originaliter habet, & habere debet à Summo Pontifice, qui solus potest habilitare Laicos ad possidendum Jus Spirituale, vel spirituali annexum. Imò, ut supra Num. 14. retuli, Speculator Rudolpho coævus, & Carolo anterior vidit Privilegium Bullatum, quo Consuetudo præterita fuit roborata, & convalidata. Imperator Leopoldus non præterit Jus Primarium Precum ex Jure proprio Majestatis, sed solum omisit Legatum Obedientiæ, ut vocant, mittere Romam pro impetranda Confirmatione Electionis suæ juxta morem Antecessorum, nimias expensas, & temporum difficultates causatus: ex qua causa, cum Sedes Apostolica aliàs Electo Imperatori non consueverit Diploma Confirmationis, & Jus Precum Primarium dare, nisi post promissam per ejusmodi Legatum Obedientiæ, istud cum his Alexander VII. metuens malas in futurum sequelas, negavit: imò Comiti Lambergio, principali in Aula Cæsarea Ministro, Preces Imperatorias pro filio ad Canonicatum Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis alleganti, respondit, moris non esse, ut Sedes Apostolica Jus Precum Primarium aliter, quam post præstitam per Legatum extraordinarium Obedientiæ, Imperatori indulgeat. Hinc idem Augustissimus, innixus fortasse quorundam DD. Catholicorum sententiæ, qui putant Indultum Precum Primarium esse perpetuum, ita, ut speciali renovatione non indigeat, expedit quidem Preces Primarias ad varias Ecclesias sed parè, & postquam à multis, ad quas dirigebantur, non fuerunt admittæ, executionem illarum non amplius urisit, bene gnarus, frustra se fore, non obtento prius Indulto Pontificio.

Vid. Oligen. n. 71. & 72.

Quod attinet ad Primas Preces, quas Josephus I. ad Ecclesias sine speciali Indulto direxit, notorium est, quàm acriter se illis opposuerit Clemens XI. ita quidem, ut pro intrusis habendos declaraverit eos, qui earum intuitu Beneficia sunt consecuti, ut patet ex Brevis Apostolico ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Hildesimensis emanato 6. Mart. 1706. Advocatia, quam Imperator respectu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum obtinet, præteritioni Adversariorum non faret; nam vi istius Imperatores tenentur Jura Ecclesiæ defendere, non invadere, præsertim Spiritualia. Hinc, sicut ejusmodi Jurium Spiritualium capaces non sint, Advocatia hæc, & defensio Ecclesiæ, ipsaque Dignitas, & Majestas Imperatoria fuit quidem causa, ob quam Pon-

tifices

ffices dederunt Imperatoribus Primas Preces, sed non radix unica, ex qua ortum habuerint. Certè Carolus IV. à Clemente VI. Rudolphus I. à Gregorio X. Albertus I. à Bonifacio VIII. Wenceslaus ab Urbano VI. Fridericus III. ab Eugenio IV. & dein Nicolao V. Carolus V. à Clemente VII. Maximilianus II. à Pio IV. Ferdinandus II. à Paulo V. & Ferdinandus III. ab Urbano VIII. tum demum Precum Primariarum accipere Indultum, cum prius in Electionis suæ Confirmatione, præfinito fidelitatis, & Advocatiæ susceptæ Juramento, Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ se devoverunt, ut legere est apud Goldastum.

25.

Ad 4. Sequelæ illæ, quarum Anonymus allegatus à fol. 28. quadraginta duas accumulat, absurdum sonant in auribus A Catholicorum tantum, non autem Catholicorum, ex quorum Principiis, quæ hic probandi locus non est, ferè omnes oriuntur. Inter has sequelas est subjectio, quam in Spiritualibus, & Ecclesiasticis Imperator habet respectu Pontificis, quippe quæ ex Divino Jure promanet. Certè omnes Christi Oves, in quarum numero etiam Imperatores esse se gloriantur, Præceptum Domini Joan. 21. subjecit Pastori supremo, Christi in terris Vicario, Petri Successori, Romano Pontifici. Unde nec Imperatores volunt, aut possunt esse exempti à subjectioe erga Pontificem; nam in rebus Spiritualibus ipsi Filii, Papa Pater, ipsi membra Ecclesiæ sunt, iste verò Caput eorum. Quid ergo absurdum, si filius Patri, membrum Capiti dicatur esse subjectum? Proinde in dijudicandis his, & aliis Sequelis attendendum non est iudicium A Catholicorum, qui erroneis Principiis imbuti, pro absurditatibus habent etiam ea, quæ lumine Fidei clara, & explorata sunt. Ad oppositionem istorum, quæ voluerunt tempore compositæ Pacis Westphalicæ, Preces has habere pro inadmissibilibus, & inutilibus, bene responderunt Status Catholici eas profluere ex Jure Majestatis Imperatoriæ, quatenus scilicet intuitu istius initio à Pontifice sunt concessæ Imperatoribus, qui proinde, cum per concessionem istam Preces hæ abierint in Jus istorum, illud contra recusantes istis deferre, tueri per remedia Juris poterunt, præsertim cum hæcenus à longissimo tempore iidem A Catholicici Preces istas in Beneficiis, quorum detentores præcisè sunt, absque contradictione admiserint. Proinde Imperator etiam apud istos optimò Jure urget executionem Precum Primariarum, quas ad Beneficia, ab ipsis occupata, interposuit, idque ex præsumpto consensu Sedis Apostolicæ, cum melius sit, Beneficia, quæ e manibus illorum eripi nequeunt, conferri à Catholico, quam A Catholicico.

26.

Manet ergo, quòd Jus Precum Primariarum originem suam debeat Indulto Pontificio, non verò Juri Majestatico, aut Consuetudini, independentè à Privilegio, aut Con-

sensu Pontificis expresso, vel tacito introductæ: non Juri Majestatico; quia ex SS. Canonibus, & unanimi Canonistarum, imò & Catholicorum Legistarum sententia, Principibus Laicis nullum Jus conferendi Beneficia Ecclesiastica potest competere: non de consuetudine independentè à consensu Apostolico; quia ad tribuendum Laicis Jus Spirituale (quale est Jus conferendi Beneficia) quippe ejusdem Juris possidendi, secluso Privilegio Apostolico, incapacibus, nulla valet de Jure Consuetudo, vel Præscriptio, etiam immemorialis, ut constans est assertio Catholicorum, maximè Canonistarum,

ex textu c. Massana. § 6. de Elect. c. causam, qua. 7. de Præscript. c. licet Ecclesiarum. 2. de Præb. in 6. fateturque ipse Lymnaus Author A Catholicus Quæst. Canon. 19.

Unde non obest, quòd aliqui ex Imperatoribus, & nominatim Carolus IV. provocaverit ad Consuetudinem, imò etiam ad Jus, in verbis, Cum itaque Nobis tam de Jure, quam de antiqua, & approbata Consuetudine &c. nam verba ista intelligi debent in terminis habilibus, scilicet de Jure communicato per Indultum Pontificium, vel de Consuetudine approbata per consensum sive tacitum, sive expressum Summorum Pontificum. Quòd si aliqui ex anterioribus Imperatoribus vel per Preces primas, vel alio ex capite disponere de Beneficiis, & Dignitatibus Ecclesiasticis præsumperunt, id non pro Consuetudine legitima, sed pro corruptela, abusu, & invasione Sacrilega habendum foret, cujusmodi abusus, & violentæ invasiones in Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, imò & Episcopatus, etiam Simoniacè ab ipsis collatos, olim non fuerunt infrequentes, præsertim sub Henrico V. Friderico I. & II. Ottone IV. ut videre est apud Goldast,

Tom. 1. pag. 242. 258. 289. 290. & Annales Ecclesiastici, rerumque Germanicarum Scriptores satis demonstrant.

QUÆSTIO II.

An Primis Precibus subjaceant Beneficia Juris Patronatus Laicalis?

Videtur respondendum affirmativè; nam i. Hac in re instar Regulæ Generalis est, quòd his Precibus locus sit in quibuscunque Beneficiis, sive Sæcularia illa sint, sive Regularia, cum, vel sine Cura, simplicia, aut duplicia, videlicet Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia &c.

27.
Rationes
Dubitandi

Indult. §. hinc est. Et ibi Chockier V. super singulis Beneficiis. Wagnereck. ibid. §. 2. num. 6. Leuren. p. 2. for. Benefic. g. 602. num. 1. Pirhing. ad Lib. 3. Decret. tit. 5. num. 367.

Nec videntur ab hac Regula posse excipi Beneficia Juris Patronatus Laicalis; quia 2.

¶ h 2

Sum:

Summus Pontifex in suo Indulto permittit Imperatori Nominationem Beneficiorum, quæ pertinent ad præsentationem quorumcumque Collatorum: qui termini Generales sunt, & comprehendunt etiam præsentationem, quæ fit à Patrono Laico: & sic 3. Etiam ab Imperatoribus expediuntur Diplomata Primarium Precum sub iisdem terminis generalibus.

28.
Rationes
Decidendi.

Sed DICENDUM, sub his Precibus non comprehenduntur Beneficia, quæ Juri Patronatus Laicali subiecta sunt, si hoc Jus ortum suum habeat ex fundatione, dotatione, vel constructione Ecclesiæ, à Patrono, vel ejus Antecessoribus facta. Ita sentiunt plerique omnes, qui hanc Primarium Precum materiam tractant, & in specie

Chockier. *sect. 2. V. Præsentationem.*
Wagnereck. *f. 2. V. Collationem.* Engl
ad Libr. 3. Decret. tit. 5. num. 71. §. 5.
Herman. Herm. *Fascic. Jur. Publ. c. 11. n. 32.* Pirhing *ad tit. de Prab. n. 368. not. 3. & not. 8.* Wiestner *ibid. n. 164.*
Wex *Ariadn. p. 1. tab. 15. n. 5.* la Croix
l. 4. Theol. Moral. n. 571.

29.

Responsio hæc sequitur ex solutione *Questionis præcedentis*; si enim Primæ Preces descendunt ex Indulto, & Privilegio Pontificio, Imperator per illas plus Juris non acquirit, quam quantum Pontifex ipsi concessit. Atqui Pontifex concedendo Primas Preces non concedit Imperatori Jus nominandi ad Beneficia Patronatus Laicalis, quippe cui, si ex titulo fundationis, constructionis, vel dotationis Ecclesiæ, vel Beneficii competat, per Indulta sua, quamvis Clausulæ prægnantissimæ, imò & derogatoriarum derogatoriæ infertæ iisdem sint, Pontifex nunquam derogare, vel Patronos hujusmodi gravare, aut impedire ab usu hujus sui Juris censetur, nisi clarè id exprimat: idque ex ratione, ne per hujusmodi gravamen absterreantur Laici à fundandis, construendis, vel dotandis Ecclesiis, aut Beneficiis, prout habet communis DD.

cum Gloss. in *Clem. 2. V. præsentare. de Jur. Patron.* Rebuff. *de Nominat. q. 8.* Felin. *tract. quand. Liter. Apost. derog. Jur. Patron. limit. 3.*

Cum ergo Pontifices in suis Precum Primarium Indultis Beneficiorum Juris Patronatus Laicorum mentionem claram, & expressam nunquam fecerint, prout insipienti Bullas Papales patebit, necessariò sequitur, quòd ea Beneficia sub Precibus Primariis neutiquam comprehendantur.

30.
Respondetur
ad Rationes
oppositas.

Neque urgent contra hanc Responsionem Argumenta opposita. Ad 1. Regulæ in hoc Argumento propositæ opponitur alia Regula priorem limitans, juxta quam generalis dispositio non extenditur ad Casus Privilegiatos, aut speciali notâ dignos

per Regul. in *generali concessione. §. 1. in 6.*
Cum ergo Jus Patronatus Laicale sit Privilegiatum, & speciali notâ dignum juxta di-

cta Num. *prac. ad Beneficia sic Patronata generalis Precum Primarium concessio non poterit trahi, ut bene notat*

Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. Honorificum. n. 22.*

Ex quo proinde sequitur Responsio Ad 2. Quæ etiam confirmatur exinde, quia Pontifex, præsertim Paulus V. in suo Indulto solum concedit, ut Imperator nomet ad Beneficia, quæ pertinent ad quosvis Collatores, in qualibet Dignitate Ecclesiastica constitutos. Ergo non vult gravare Collatores, seu potius Patronos, constitutos in dignitate Laica, seu profana, præsertim Principali, si hi Jus Patronatus consecuti sint ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, aut Beneficii.

Herm. *c. 11. cit. q. 23. num. 32.* cum Rebuff. *q. 8. cit.*

Ad 3. Diplomata Primarium Precum, quæ ab Imperatoribus ad Ecclesias diriguntur, conformari debent Bullis Pontificiis has concedentibus, à quibus vim, & efficaciam suam illæ habent. Cum ergo Pontifex in Bullis suis Beneficia Patronatus Laicalis sub Precibus Primariis non velit esse comprehensa, neque Imperator nominare ad ea Precistas poterit. Et hinc jam olim Duces Julix, & Clivix, uti & Comites Flandriæ, ad quos in diversis Ecclesiis Collegiatis (nempe de Jure Patronatus Laicalis) Canonicatum & Præbendarum Collatio pertinet, Preces, ab Imperatore ad has directas, rejecerunt ex dicto capite Juris Patronatus Laicalis, ut observat, & refert laudatus Chockier.

QUESTIO III.

An dictæ Preces Primariæ Consuetudine, vel Præscriptione in particularibus Ecclesiis ita extinguantur, ut porro cum effectu ad eas dirigi amplius nequeant?

Videtur tenenda Negativa, quippe quam 1. cum Chokier *sect. 2. pag. 21.* Et Herm. *Fascic. Jur. Publ. c. 11. q. 7. n. 6.* sustinent gravissimi DD. & 2. Patrocinatorum ratio clara; nam si Preces istæ ad effectum prædictum extinguantur Consuetudine possent pro particularibus Ecclesiis, extinguerentur per non usum illarum in dictis Ecclesiis, quatenus scilicet Imperatores per tempus, ad Præscriptionem sufficiens, ad tales Ecclesias Preces Primarias non expediissent. Atqui hoc modo non extinguitur hoc Privilegium Imperatorum; quia, cum nemo Privilegio suo teneatur uti, non usus est omisso actus meræ facultatis, & in actibus meræ facultatis Consuetudo, vel Præscriptio nulla locum habere potest, prout passim observant DD. ad *tit. de Consuet. & de Præscript.* Præterea 3. Eidem sententiæ suffragatur argumentum, sumptum ex

E. viam

L. viam publicam. 2. ff. de Via publ. & itiner.

ubi Javolenus, *Viam publicam*, inquit, *populus non utendo amittere non potest.* Item 4. Pro ea servit paritas cum Jure altius tollendi, quod non amittitur, licet illud Jus habens centum, aut mille annis eo usus non fuerit. Denique 5. Concludi illa videtur ex ipsa natura Precum Primariarum; nam hæ reputantur inter Regalia Imperatoris. Contra Regalia autem non datur Præscriptio. Ergo &c.

Verum, his non obstantibus,

DICENDUM, per Præscriptionem Jus illud, quod ratione Precum Primariarum Imperator habet, saltem longissimo, & immemoriali tempore extingui posse, præcipue tum, quando positivè aliquando fuit obtentus actus aliquis possessorius per repulsam Precum directarum ad aliquam, vel aliquas Ecclesias, prout expressè defendit

Fritschius *de Precib. c. 4. n. 16.* qui putat, se primum fuisse, qui hanc Questionem tractasset, & Vitriarius *Inst. Jur. Publ. l. 3. tit. 2. n. 10. §. & ne.*

ubi existimat, Controversiam hanc in Instrumento Pacis Westphalicæ *art. 5.* hodie fuisse sopitam, quippe in quo dispositum est, ut S. C. Majestas Jus Primariarum Precum in posterum exerceat, ubi illud exercuit hætenus. Igitur à contrario, ubi illud non exercuit, præsertim tempore immemoriali, nec deinceps exercere potest. Præter dictam Pacificationem

Responsioni huic nostræ favet 1. *Recessus Imperii de Anno 1548. §. 54.* ubi admittitur Præscriptio libertatis ab oneribus Imperii. Igitur etiam ab onere Primarum Precum. 2.

L. omnes. 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.

ubi omnia Jura dicuntur extingui posse per viam Præscriptionis longissimi temporis. Ergo & Privilegia. 3.

L. hæc autem. 6. ff. de Servit. Præd. Urb. ban.

ubi Jura prædiorum Urbanorum, ut rusticorum quoque certo tempore non utendo perire, dicuntur, si nimirum ille, contra quem tendit tale Jus, exercuit actum contrarium, impediendo alterum ab usu Juris sui, iste autem acquievit. 4. Paritas cum Regalibus Imperatoris, quæ, saltem si minora sint, per Præscriptionem saltem immemorialem extinguntur, ut cum communi tam Legistarum, quam Canonistarum, & plurimis à se allegatis docet

Rosenthal *de Feud. l. 1. c. 5. concl. 16. num. 3.* etiam ignorante Imperatore, ut notat idem Rosenthal *l. cit. n. 6.*

Jus autem Primarum Precum, si esset Regale Imperatoris, inter minora, non verò majora,

ut sine ullo Jure, & ratione vult Klock, *Conf. 4. num. 40. & 57.* perperam citans Sixtin. *de Regal.*

referri deberet. 5. Paritas cum Feudis, à quibus liberatio obtinetur, si per 30. annos extraneus rem Feudalem, tanquam Allodialem, bona fide possederit.

Gloss. *in tit. 40. Feud. l. 2. §. præterea. V. præscriptione.* Alex. de Nevo *in c. 13. de Præscript. n. 52. & 57.* Gaill. *l. 2. observ. 160. num. 1. & seqq.* Rosenthal *concl. 9. n. 19.* Vult. *de Feud. l. 1. c. 4. n. 10.*

Ad opposita non est difficilis Responsio. Ad 1. Inprimis Authoribus in hoc Argumento allegatis opponuntur alii AA. longe plures, nec minoris, imò majoris autoritatis, ex quorum Sententia Privilegia, quæ onus, & gravamen afferunt alteri (quale respectu Collatorum est Privilegium Primarum Precum) amittuntur per non usum voluntarium, & liberum, oblatà scilicet occasione utendi Privilegio, & hoc tum per viam tacitæ Renuntiationis, tum per viam Præscriptionis: in qua sententia, præter plurimos alios sunt

Gaill. *l. 2. obs. 60. n. 2.* Azor *p. 1. l. 5. c. 22. q. 8.* Suar. *l. 8. de LL. c. 34. n. 5. 6. & 16.* Layman. *l. 1. tract. 4. c. 23. n. 21.* Palao *tract. 3. D. 4. p. 18. n. 4.* Pirhing *ad tit. de Privileg. num. 175.* König *ibid. num. 29.* Reiffenstuel *dict. tit. n. 204.* & sumitur ex *l. Nundinis. 1. junct. Gloss. V. tempore. ff. de Nundin.*

Deinde ex adverso allegati DD. limitant assertionem suam, & inprimis quidem Chokier suam Sententiam procedere vult in casu, quo Privilegium est commune pluribus, & unus ex iis illo quidem usus non est, alii tamen eodem usi fuerint; Hermes autem addit notatu dignissima verba, nisi prohibitus per tempus legale (ad Præscriptionem requisitum) prohibitioni acquieverit. Denique pro nostra Sententia, ut ex *Num. prac.* patet, stat melior ratio, & potiora Jura.

Ad 2. Distinguendum est inter Privilegia, quæ in aliorum gravamen redundant, & inter illa, quæ non redundant in aliorum gravamen, sed in mera facultate aliquid agendi consistunt, uti est Privilegium dicendi Missam ante Auroram, comedendi carnes in Quadragesima, pro Horis Canonicis recitandi Officium B. V. &c. Posterioris generis Privilegia solo non usu, quantocumque tempore continuato, non amittuntur, ut bene probat hoc Argumentum: contra amittuntur per non usum voluntarium, & liberum, ac tempore à Jure definito continuatum, Privilegia prioris generis, seu onerosa alii, vel aliis, si scilicet Privilegiatus Privilegio suo, cum utendi occasio fuit, usus non est intra tempus pro Jurium hujusmodi Præscriptione requisitum, prout docent DD. *Num. præced. allegati.*

Ad

32. Rationes Decidendi.

33.

34.

34. Respon de: tur ad Rationes op- positas.

35.

36.

Ad 3. Magna est disparitas inter casum Legis in hoc Argumento allegatæ, & inter casum præsentis Quæstionis. In priori enim Præscriptio locum non habet, quia Via publica à privatis possideri non potest, consequenter ex defectu Possessionis præscriptibilis non est ex generali doctrina

L. usucapionem. 9. ff. de Usurpat. & Usucap. Et l. Præscriptio. 6. C. de operib. publ.

Unde non usus Jus Viæ publicæ non tollit populo; quia satis est, quod ea uti possit, & ad eum finem sit facta. Contra in Casu præsentis Quæstionis agitur de acquirenda Liberatione ab onere publico, quæ cum Libertas homini per naturam congenita sit, possideri potest, consequenter præscriptibilis est. Adde; quod hic sermo sit de Præscriptione privativa Juris Collatoribus onerosi, quæ facilius obtinetur, cum connaturale sit, ut res, & personæ ad statum suum Libertatis primum redeant,

37.

Ad 4. Paritas cum Jure altius tollendi non stringit; quia Jus altius tollendi per se, ipso Jure, ac sine alterius gratiâ competit, & sic per se, & de Jure illimitatum est: contra verò Privilegium Primarum Precum Imperatori ex speciali favore, & secundum Jura limitatè concessum est, ita, ut, si intra tempus Legale illo non utatur, & fuerit utendi occasio, extinguatur, utpote Jus ordinariis Collatoribus, & Patronis onerosum, ac præjudiciosum. Deinde etiam Jus altius tollendi per Præscriptionem tollitur; quando altius tollere volens à vicino fuit prohibitus, & post factam sibi prohibitionem acquievit, suoque Jure per tempus Legale amplius usus non est; tunc enim prohibens constitutus fuit in possessione Servitutis activæ altius non tollendi,

per textum, & DD. in l. Hac autem. 6. ff. de Servit. Præd. Urban.

Pariter ergo præscribi contra Preces Primarias potest ab Ecclesia, vel Collatore Beneficii, si illa, vel iste Preces, ab Imperatore ad se directas, bona fide, liberum se ab iis reputans; rejecit, & Imperator executionem illarum non amplius urfit, datæque occasione, ipse, vel Successores per tempus legitimum similes Preces ad talem Ecclesiam, vel Collatorem non expedierunt.

38.

Ad 5. Inprimis Preces non sunt Regale Imperatorium, sed Indultum Pontificium, ut ostensum est ad Quæstionem primam Preliminarem. Deinde, si essent Regale Imperatoris, Præscriptionem non effugerent, sed eidem subjacerent, ut alia Jura, & Privilegia, imò & Regalia minora, ut in Responsione ad hanc Quæstionem Num. 32. & 33. vidimus. Ex his patet Responsio ad Quæstionem Principalem Num. 6. propositam.

39.

Deciditur Quæstio Principalis.

DICENDUM ergo, Primas Preces Imperatorias in Ecclesiis Collegiatis Bavariæ locum non obtinere. Nam 1. Ut ostensum

est ad Quæst. 1. Preliminarem, Primæ Preces originaliter saltem profiuntur ex Indulto, & Privilegio Apostolico, & ab hoc vim, atque efficaciam suam obtinent: consequenter 2. Per illas, ut monui Num. 29. & per se clarum est ex illo Principio, quod Privilegium ad Casus, Loca, & Personas, in Privilegii forma non expressas, extendi non debeat, Imperator plus Juris non acquisivit, quam quantum Pontifex ipsi concessit. Atqui 3. Pontifex concedendo Primas Preces non concedit Imperatori Jus nominandi ad Beneficia Juris Patronatus Laicalis, obtenti ex titulo fundationis, constructionis, vel dotationis Ecclesiæ, vel Beneficii, quippe cui Juri nunquam derogare, aut ab ejus usu impedire Patronos censetur, nisi hoc exprimat, ut dictum est Num. 29. cit. Sunt autem 4. Tali Jure Patronatus Laicalis respectu Serenissimæ Domus Bavaricæ affecti Canonicatus, Præbendæ, Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum Bavariæ, utpote potissimum dotatarum ab illa, ob quam causam etiam Serenissimi Duces Fundatores sibi, & Posteris suis Jus istud per expressum reservarunt, ut constat ex Authenticis Documentis, & facta est ipsa Administratio Cæsarea Monacensis, quæ secundum relata Num. 4. cum Augustissimus Imperator Josephus Primas Preces expedisset ad Ecclesiam Straubinganam ratione Canonicatus tum vacantis, rescripsit Viennam, iis Precibus opus non esse, cum Imperator, tanquam ea tempestate Provincia Dominus Jus Præsentandi habeat ad se eo capite devolutum. Cum ergo 5. Juxta dicta ad Quæstionem 2. Preliminarem Primæ Preces in Beneficiis, respectu quorum ex titulo fundationis, dotationis, vel constructionis Jus Patronatus Laico competit, locum non habeant, per se consequitur, quod neque obtineant locum in dictis Bavariæ Collegiatis Ecclesiis.

Imò, si memorata Preces etiam in istis Ecclesiis, per se locum obtinere deberent, respectu istarum vis Precum dictarum fuisset extincta, ita, ut jam non amplius cum effectu dirigi ad illas possint. Nam 1. Constat ex Responsione ad Quæstionem 3. Preliminarem, quod Jus illud, quod ratione Precum Primarum Imperator habet, per Præscriptionem, & non usum saltem longissimo, & immemoriali tempore extingui possit, præsertim tum, quando positive aliquando fuit obtentus aliquis actus possessorius per repulsam Precum directarum ad aliquam, vel aliquas Ecclesias. 2. Post diligentem inquisitionem à quatuor Ecclesiis Collegiatis in Bavaria, scilicet Oettingana, Landshutana, Monacensi, & Straubingana, ut patet ex earum Literis allegatis Num. 3. & duobus sequentibus, in harum Archivis, seu Registraturis non fuit inventum ullum exemplum, vel Decretum Cæsareum, quousullus Canonicus per Primarias Imperato-

rum Preces ad Canonicatum aliquem dictarum Ecclesiarum fuisset promotus: quod clarum est signum, ejusmodi Preces ad eas Ecclesias vel nunquam expeditas fuisse, vel si expeditæ fuerunt, ad effectum non fuisse deductas: ut proinde habeatur tempus longissimum, & Actus Possessorius libertatis ab onere istarum Precum. Imò 3. Ipse Imperator Josephus, ut dictum est Num. 4. qui Preces ad Straubingam Ecclesiam expedit, postquam de contrario edoctus est, ab iis destitit, & Canonicatum ibi vacantem non vi illarum, sed ut Territorii eâ tempestate Dominus, vi Præsentationis ordinariæ contulit: ut adeo habeatur etiam Actus confessorius, consequenter nihil desit, quin iisdem Precibus, etiam si competissent olim, præscriptum dici queat.

41. Neque contrarium probant Argumenta Num. 6. & duobus seqq. allata. Ad 1. Si hujusmodi Preces in dictis Bavariæ Ecclesiis fuissent unquam admittæ, æquè facile, ut Imperatores, qui dicuntur has direxisse, ita etiam Precistæ, ad Canonicatus vi illarum admitti specificari potuissent, ut sic facilius fieret inquisitio in Actis, an nominatus in Diplomate Precista Canonicatum, ad quem nominatus est, obtinuerit vi talium Precum. Verba Generalia, quibus Imperatores in Precibus, ad Ecclesias Bavariæ directis, dicuntur fuisse usi, quod scilicet competat ipsis potestas porrigendi Preces ad omnes, & singulos, qui Jus quocunque modo disponendi de iis habent, sumenda sunt in sensu accommodo; nam præter alias multas limitationes patiuntur Exceptionem quoad Beneficia Juris Patronatus Laicalis, ut dictum Num. 28. & duob. seqq. Hinc

42. Ad 2. Non obest, quod verba Diplomatum Imperialium, quibus dirigi Preces Primariæ ad Ecclesias solent, inter Beneficia Patronata non distinguant; nam sufficit interpretatio Juris, juxta quam Privilegii verba nunquam ita sunt explicanda, ut per illud lædatur Jus tertii, nisi constet, quod huic Princeps derogare voluerit: ita autem derogaretur Juri Patronatus Laicalis per Privilegium Primarum Precum, si Beneficia, hoc Jure affecta, sub dictis Precibus com-

prehenderentur. Cum ergo non constet, quod huic Juri per memoratas Preces voluerit derogare Pontifex, imò de contrario liqueat ex communi doctrina allegata Num. 29. juxta quam per Indulta sua Pontifex nunquam derogare censetur Juri Patronatus Laicalis, nisi hoc exprimat, dicendum, Beneficia, huic Juri subjecta, dictis Precibus non substat.

Ad 3. Etiam Actibus meræ facultatis præscribi potest, si hos exercere volens, ab exercitio illorum prohibeatur ab alio, bona fide existimante, horum exercitium illi nullo Jure competere, & ita prohibitus acquiescat. Ita autem factum est in Ecclesiis Collegiatis Bavariæ; nam Domus Bavarica semper restitit Primis Precibus, ab Imperatore ad eas directis, prohibuitque executionem illarum, prætendendo, quod Dignitates, Canonicatus, & Præbendæ earum pertineant ad Præsentationem suam ex titulo dotationis, adeoque Juris sint Patronatus Laicalis: & huic prohibitioni Precistæ nominati, ipsæque Imperator acquieverunt, iste non amplius expediendo Preces ad illas, illi non urgendo executionem Precum in favorem ipsorum ab Imperatore expeditarum: Imò hoc Jus Patronatus Laicalis, Serenissimæ Domui Bavaricæ competens, juxta Num. 4. & 40. agnovit ipsemet Imperator Josephus, dum post Preces à se expeditas, & contrariam remonstrationem suâ in Bavaria Administrationis, Canonicatum in Ecclesia Straubingana vacantem non vi Precum, sed per ordinariam Præsentationem, Jure ad se per Bavariæ occupationem devoluto, contulit.

Proinde, cum Serenissimus Elector Bavariæ ex causa dotationis Ecclesiarum Collegiatarum in hac sitarum præsumptionem, & in Jure fundatam intentionem super Jure præsentandi ad istas, earumque Canonicatus, atque exinde ad excludendas ab his Preces Imperatorias habeat, in hoc Jure, hujusque possessione manuteneri debet, donec authenticè ostendatur, quod eadem Preces in specie respectu Ecclesiarum, Juri Patronatus Ejusdem subjectarum, locum habeant, vel habere possint.

